

Le pergamene di Capua – J. Mazzoleni – pp. 132-136

Doc. CCXCVIII

1432, 7 settembre, ind. XI - Giovanna II d'Angiò regina di Sicilia, a. 19 – Capua

Colella de Calabria dictus Stephanus e Iacobellus de Abbate, di Amalfi, castellani delle torri della città di Capua, in rappresentanza del defunto *Sir Iohannes Caraczulus*, conte di Avellino e Gran Senescallo del Regno, consegnano le dette torri a *Gaspari Bonciani* di Firenze, ambasciatore di Giovanna II, in obbedienza alle lettere esortatorie loro dirette da *Caterina Filingeria*, vedova del Gran Senescallo e da *Trojanus Caraczulus* suo figlio, che gli rimettevano la quarta parte di un tornese per la cessione e inviavano *Andreas de la Candida* per indurli alla restituzione delle torri alla R. Corte.

Orig.: perg. n. 285. Scrittura minuscola gotica.

Sul verso: lib. 3, p. 45 t.

✠ In nomine domini nostri Iesu Christi. Anno a nativitate eius millesimo quatringsesimo tricesimo secundo, regnante serenissima domina nostra domina Iohanna Secunda Dei gratia Hungarie Ierusalem Sicilie Dalmacie Croacie Rame Servie Galicie Lodomerie Comanie Bulgarieque regina, Provincie et Forqualquerii ac Pedimontis comitissa, regni vero eius anno decimo nono, feliciter amen, die septimo mensis septembris, undecime indictionis. Nos Antonius de Caprio de civitate Capue per totum regnum Sicilie ad contractus iudex, Andreas Palmerius de dicta civitate Capue puplicus per totam provinciam Terre Laboris et comitatus Molisii regia auctoritate notarius, et infrascripti liciterati testes, ad hoc specialiter vocati et rogati, videlicet: abbas Adam Nicolai Marczanisiis canonicus capuanus, abbas Iacobus Sanso, Antonellus notarii Francisci, Maczoccha iudex et Amicus de Ursis iurisperitus, Raymundus de Vineis, Iohannes Antonius de Guilielmo, Cicchillus de Martono, Charolus de Amato, magister Petrus de Berardo et Petrucius Felix de Capua, presenti scripto puplico declaramus, notum facimus et testamur quod ad requisitionem et preces cum instancia nobis factas pro parte nobilium et discretorum virorum Colelle de Calabria dicti Stefani et Iacobelli de Abbate de Amalfia castellanorum turrium civitatis Capue pro parte condam magnifici viri domini Siri Iohannis Caraczuli de Neapoli militis, comitis Abellini, regni Sicilie Magni Senescalli etc., nobis qui supra iudice, notario et testibus predicto die personaliter vocatis ante presenciam dictorum Colelle et Iacobelli sistencium supra pontem dictarum turrium a parte exteriori dicte civitatis Capue; prefati Colella et Iacobellus castellani, ut supra, bona eorum voluntate, asseruerunt unanimiter et concorditer coram nobis et in presenciam nobilis et circumspecti viri Gasparis Bonciani de Florencia, commissarii et nuncii specialis illustrissime et potentissime domine ~~domine~~ Iohanne Secunde Dei gratia Hungarie Ierusalem et Sicilie regine etc., per ipsam sacram reginalem Maiestatem, sicut dixerunt, specialiter destinati ac sollempniter et legitime constituti quod, cum noviter castellani ipsi receperint et habuerint infrascriptas licteras, unam silicet ipsarum eis directam per magnificam dominam Catherinam Filingeriam, relictam dicti condam domini Magni Senescalli, aliam nobis directam per magnificum virum Trojanum Caraczulum de Neapoli filium et heredem prefati condam domini Magni Senescalli, et per prefatam dominam Catherinam Filingeriam matrem ipsius Troyani, in carta papiri scriptas et sigillatas propriis et notis sigillis seu niciis ipsorum Troyani et domine Catherine ac subscriptas subscriptionibus propriis manibus ipsorum Troyani et domine Catherine super assignationibus dictarum turrium. Et nichilominus prefati Iacobellus et Colella castellani, ut supra, receperunt et habuerunt a dictis domna Catherina et Troyano introscripta intersigna dictarum turrium olim eis data et assignata per dictum Magnum Senescallum dicto videlicet Iacobello quartam partem unius tornensis et medietatem unius alterius tornensis.

Quorum relique tres partes dicti tornensis et reliqua medietas alterius tornensis ipse Iacobellus penes se habebat, que intersigna vidimus coniuncta et ea inspessimus per omnia conveniri. Et

prefato Colette terciam partem unius iocarelli de here cipro et terciam partem unius lictere sacre reginalis Maiestatis, que incipiebat: Iohanna Secunda Dei gratia Hungarie Ierusalem et Sicilie regina etc. Cui relique due partes tam dicti iocarelli quam dicte lictere, prefatus Colella penes se detinebat et similiter intersigna ipsa vidimus esse coniuncta et ea inspessimus per omnia similiter conveniri unita. Quarum licterarum dictorum Troyani et domine Catherine tenor per exhibicionem et ostensionem licterarum ipsarum nobis factarum per dictos Iacobellum et Colellam infra subdicitur et est talis:

Amici et fideles dilecti salutem. Abemmo veduta una lictera mandata al conte de Bocino per lo capitaneo de Capua dove se contene che vuy no volite assenare le turre ala maysta de madamma per si cheno aviti unce cento e la monicione che nce en entro da maniare per beveraiio et per vostro aviso nuy avimmo promisso ala dicta maysta de madamma de farili assenare le dicte turre, et dove nolle facessemo assenare nuy restarriamo grandemente indignacione de la dicta maysta et farriance grandissimo dampno tanto de roba quanto de le persune, credemo che vuy no vogliate esser causa de tanto male nostro; per tanto ve pregamo et requidimo tanto per lo bono amore et fede che porteste ala benedicta anima delo gran senescalcho, quanto per la fede et amore che portate a nuy che subito, veduta la presente lectera, debiate assenare le dicte turre, et assenate benarrite da nuy che ve prometemo per la fede nostra faremo bono beveraiio; per modo restarrite sempre ben contenti et in bono amore con nuy et che no manche perche credimmo no voglate essere causa de la nostra disertacione che a vuy no forria ne utile ne honore. Caybani, secundo septembris undecime indictionis. Catherina Filangeria manu propria, Troyanus Caraczulus manu propria. Amicis et fidelibus nostris dilectis, Colelle dicto Stefano et Iacobello de Abbate castellanis turrium Capue etc. Comitissa Abellini etc.

Tenor vero dictarum licterarum directarum per dictam dominam Catherinam per ostensionem et exhibicionem ipsarum nobis factarum per dictos Cobellam et Iacobellum, ut supra, infra subdicitur et est talis:

Amici et fideles dilecti salutem. Commo per diverse ve avimo scripto de lo facto de le turri, per tanto nuy mandammo da vuy messere Andrea de la Candida homo nostro fidelissimo, pregandove se alcuna cosa de amicia aviti verso de nuy che vuy ve dega intendere cum lo dicto messer Andrea et fare tucto chello che ipso ve dizaria da nostra parte per la assignacione dele turre ala maysta de madamma. Et per che tucta la speranza nostra sta in vuy, fati con messere Andrea che le dicte turre se asseneno ala dicta Maysta de madamma et czo en lultimo chence mandammo, credemo che farrite quanto lo dicto messere Andrea ve dizarra et de czo le pregamo nonce fati lo contrario per quanto no volissimo veder ipsum male alluy et a nostro figlio et omne promissione che lo dicto messere Andrea ve farra ve sera observata per si ad un pilo da nostra parte tanto de securita quanto do omne altra cosa. Catherina Filangeria manu propria in castro Caybani, die tercio septembris, undecime indictionis. Amicis et fidelibus nostris dilectis Iacobello de Abbate et Stefano castellanis turrium Capue. Comitissa Abellini etc.

Et propterea intendentes et volentes dicti Iacobellus et Colella castellani, ut supra, mandatis dictorum domine Catherine et Troyani in hac parte firmiter hobedire, vigore licterarum predictarum et vigore intersignorum predictorum eis presentatorum et assignatorum, ut supra, per dictum Gasparem commissarium dicte sacre reginalis Maiestatis, nomine et pro parte dictorum domine Catherine et Troyani, dare et assignare dictas turres et fortellicium prefato Gaspari reginali commissario, ut supra, nomine et pro parte dicte reginalis Maiestatis iuxta seriem et tenorem licterarum predictarum. Propterea ipsi Iacobellus et Colella castellani, ut supra, nos prefatos iudicem, notarium et testes cum instancia requisiverunt, nostrum super hoc officium implorando, quatenus interesse deberemus visuri assignacionem dictarum turrium et fortellicii ac exinde facturi pro cautela ipsorum Iacobelli Colelle, domine Catherine et prefati Troyani et uniuscuiusque

ipsorum et omnium quorum inde interest et interesse poterit publicum (sic) publicum instrumentum. Quorum requisicionem et preces nos admittentes et iustas esse maxime considerantes quod officium nostrum quod publicum est non possumus nec debemus alicui de iure negare, assignacioni dictarum turrium per dictos castellanos quo supra nomine facte, prefati Gaspari nomine et pro parte dicte sacre reginalis Maiestatis propterea interfuimus et vidimus quomodo prefati Iacobellus et Colella castellani, ut supra, nomine et pro parte dictorum Troyani et domine Catherine, vigore et auctoritate dictarum licterarum. et intersignorum predictorum, per corporalem et vacuum possessionem dederunt, tradiderunt et presencialiter assignaverunt dictas turres et fortellicium prefato Gaspari presenti et recipienti nomine et pro parte dicte sacre reginalis Maiestatis, in quibus dicti castellani morabantur et stabant ut supra calari faciendo pontem dictarum turrium ac permittendo et sinendo dictum Gasparem, quo supra nomine intrare turres easdem. Ipseque Gaspar nomine et pro parte dicte sacre reginalis Maiestatis, vigore licterarum et intersignorum predictorum, ac pro exhibicione et assignacione corporalis et vacue possessionis dictarum turrium intravit et de eis corporalem cepit et apprehendit possessionem, ianuas et pontes dictarum turrium, aperiendo et claudendo per eas ambulando et expellendo dictos Iacobellum et Stefanum de dictis turribus et alia faciendo in eos et de eis que vere actum capte et apprehense possessionis denotant et inducunt pacifice et quiete nemine sibi contradicente donec ibidem stetimus cum eodem de quibus omnibus taliter asserens sequutis et factis ego prefatus Andreas publicus ut supra notarius presens exinde conficere curavi publicum instrumentum scriptum per manus mei predicti Andree publici ut supra notarii signo meo solito signatum signo et subscriptione nostri prefati iudicis ac nostrum predictorum testium subscriptionibus roboratum. Hoc scriptum publicum ad cautelam prefatorum Iacobelli et Stefani et eorum heredum scripsi ego prefatus Andreas publicus, ut supra, notarius qui predictis omnibus pro notario rogato interfui et meo consueto signo signavi. Quod autem superius ubi legitur de madama de farilo assennare abrasum et emendatum est per me predictum notarium non vicio set errore scribendi. Capue. (S).

- ✕ Ego qui supra Antonius iudex (S).
- ✕ Ego iudex Amicus de Ursis iurisperitus testis interfui.
- ✕ Ego Raymundus de Vineis testis interfui.
- ✕ Ego Carolus de Amato testis interfui.
- ✕ Ego Iohannes Antonius de Guillelmo testis interfui.
- ✕ Ego Cicchillus de Marthono testis interfui.
- ✕ Ego Abbas Iacobus Sanso testis interfui.
- ✕ Ego abbas Adam Nicolai Marczanisii canonicus cappellanus testis interfui.
- ✕ Ego Petrucius Felice testis interfui.
- ✕ Ego magister Petrus de Berardo interfui et subscripsi.